

de professor. et medic., n. 18. Num autem medicus privilegio aliquo gaudeat in concursu creditorum? Vide Berlic., part. 1, concl. 64, n. 95 et seq.; Finkelthens, in *Observat. pract.*, observ. 98, n. 3 et seq.

(46. Quod si medicus jam accepisset salarium a curando, is autem non vi morbi, sed alio modo, puta ab alio interfectus, periisset, haud tenetur ad accepti restitutionem, c. 1, § 13, ff. *De var. et extraord. cognit.* l. penult. et ultim. c. *De conduct. ob caus.* Ripa, *De rest.*, c. 7, n. 137.

(47. Pariter si medico certum salarium quotannis a republica vel privatis est constitutum, isque vita functus sit intra annum, salarium totius anni debetur, propterea quod non mercedem intuitu laborum, sed potius salarium accipit, et per eum non stetit quominus cura defunctus fuerit, l. 1, § *Divus*, ff. *De extraord. cognit.*; Carpozov., *Jurisprud. forens.*, part. II, c. 51, def. 12, n. 5; Gail., 1, observat. 44, n. 12.

(48. Medicus, cui constitutum est certum salarium in singulos dies, v. gr. x, debetur pro eo tempore quo fuit in itinere; argum. textus in l. 20, ff. *De oper. libert.* Quid, si medicus discedat tarda jam hora, an pro integro die salarium exigere queat? Distinguendum utrum medicus causam protracti itineris dederit necne? Priori casu peti haud potest salarium totius diei a curando, potest vero posteriori casu.

(49. Medicus, cui certum salarium annuum, verb. gr. ad tres annos, a communitate constitutum est, si, finito locationis tempore, pergat mederi, non videtur tacite reconductus; ita ut non contra communitatem, sed contra eos quos curavit agere debeat; Ripa, *De peste*, c. 7, n. 124.

(50. De eo magna inter doctores quaestio est: an conventa medicum inter et aegrotum certa mercede pro curando aliquo morbo, teneatur medicus eadem mercede curare, si aegrotus recidivam patiat? Argumenta utrinque militantia affert Spekhan., centur. 1, quaest. 13. Contra medicum pronuntiat Perez, ad tit. *C. de profess. et medic.*, n. 15. (51. Distinguendum vero est utrum morbus procedat ex nova causa, an recurrat ex iisdem humoribus, et causa. Priori sane casu non tenetur, posteriori vero casu tenetur, modo non appareat reversum esse morbum ex culpa aegroti, ut si contra praecipuum medici vixerit, nec ex intervallo, sed incontinenti sit morbus reversus; Spekhan. *ubi supra*. (52. Incontinenti autem, quando reversus dici queat morbus, non est usquequaque expeditum, utpote certa regula haud definitum: arbitrio iudicis id relinquendum; Ripa, *De peste*, cap. 7, n. 145.

(53. De contractibus aegrotum inter et medicum non inutiliter quoque hic agi posset. Sed longiores essemus, quam additionum angusti limites patiuntur.

ADDITIONES CASINENSES.

(54. De juramento medicorum (quod ultra tertium diem non visitabit infirmum, si hic non vocet ad se confessarium, nisi ra-

tionabilis causa excuset) de quo agit auctor sub n. 2 et seqq., praestat adnotare cum Salm., Sanchez, Cajet., Prad., Trull., Leand., etc. « Tale juramentum (verba sunt D. de Ligorio) non obligare, si non sit usu receptum, prout non esse receptum in Hispania (idem) testantur (sicut nec etiam receptum est Neapoli). Hinc dicunt tunc medicum tantum teneri, quando praevidet in infirmo probabile periculum mortis, et simul probabiliter credit eum esse in mortali, vel necessarium esse ut disponat de rebus suis ad solvenda debita, tollendas lites, etc... In dioecesi autem Neapolitana per ultimam synodum factus est casus reservatus, cum excommunicatione, nam antea erat sine excommunicatione; ibi enim, n. 4, sic dicitur: « Medici qui visitantes in lecto infirmos, post tres dies a visitatione non curaverint ut praedicti infirmi peccata sua idoneo confessario confiteantur, aut alias non deseruerint, secundum terminos constit. S. Pii V et Innocentii XI. » *Theol. moral.*, De juramento, n. 182.

(55. « Sed ut dixi, prosequitur D. de Ligorio, hujusmodi constitutio non est Neapoli usu recepta, ut plures sapientes mihi asseruerunt, quando infirmitas levis est; dum vero periculosa, viget constitutio et reservatio. Hinc Mazzott... loquens de praedicto casu reservato, ait, constit. S. Pii V a consuetudine ita temperatam esse, ut intelligatur tantum de morbis periculosis. Excusatur tamen medicus (sic idem de Ligorio) si per alium moneret infirmum, vel si certe censeret monitionem non profuturam. Dicitur certe, nam in dubio tenetur monere. Ita Elbel., Sanchez., Bon., Tambur., etc. Idem ait Mazz... qui addit sufficere testimonium domesticorum vel ipsius infirmi de confessione recenter peracta, si sint fide digni. Sed in hoc regulariter dico (addit de Ligorio) domesticos facile ut suspectos habendos. » *L. et n. cit.*

(56. Sed audiamus eum de Ligor. qui alibi, post relatas ad hoc sanctiones concil. Lateran. sub Innocent. III et S. Pii V (de quibus Lucius noster supra), ita prosequitur: « Queritur de qua infirmitate haec decreta intelligantur? Prima sententia, quam tenent Laym., Rosel., Graff., Vega et Rodriguez apud Salm... dicit intelligi de solo morbo periculoso, vel saltem de quo dubitatur an sit periculosum, et idem sentit Nav., *Man.*, c. 25, n. 61, dicens: « Monitioni non est locus, quando manifestum est morbum non esse periculosum. » Et in hoc sensu aiunt auct. cit. praedicta decr. usu recepta fuisse. Secunda autem sententia... dicit intelligi de quocunque morbo, etiam non mortali... Tertia vero sententia communior... et huic consentit Bened. XIV. *Notif.* 22, num. 4, dicit 1° hoc praecipuum non quidem intelligi de solis morbis periculosis, nam revera const. Innocent. XI edita fuit, ob motivum, ne infirmi, cum monerentur in morbo mortali, facilius mortis periculum incurrant; unde praecipuum seu juramentum intelligendum est de facienda monitione etiam in

morbo non periculoso, ut infirmi, cum monentur, non incurrant mortis periculum. Dicit 2° nec etiam intelligi de quocunque morbo levi (quod ridiculum esset ait Suarez), sed morbo gravi, etsi non periculoso. Ratio, quia tam Innocent. quam S. Pius V loquuntur de infirmis *lecto jacentibus*, et ideo intelligunt loqui de illa infirmitate quae non ex majori commoditate, veluti si aeger podagra aut consimili affectu laboret, sed ex necessitate lectum petit, ita ut sit per se gravis, vel prudenter judicatur periculosa, ut gravis fiat. » *De sacram. penit.*, n. 664.

(57. « Notant autem DD. 1° sufficere ut medicus moneat infirmum per alios... 2° sufficere testimonium aliorum (absque confessarii scripto) quod infirmus sit confessus, modo sint fide digni; 3° quod medicus non tenetur ad hujusmodi monitionem, si moraliter sit certus infirmum esse in bono statu... 4° quod si infirmus nolit obstinate confiteri, et esset in periculo mortis, si a medico desereretur, tunc non tenetur medicus eum deserere, quia praefata decreta non adversantur charitati, quae favet etiam obstinatis, quantum fieri potest; ita Nav.,

MELCHISEDECH REX ET SACERDOS.

SUMMARIUM.

1. Melchisedech quisnam fuerit. — 2. Fuit revera

(1. Melchisedech Chanaanus fuit, et rex Hierusalem, ut expresse tradit eruditiss. card. Lambertin. exposit. Benedictus XIV, *De sacrificio missae*, sect. 2, n. 287, ibi: « Vera sententia est, Melchisedechum gentem Chanaanum fuisse, regem Salem, quod idem est ac Hierosolymae, ut ostendit Calmetus in erudita dissertatione de Melchisedech. » Quod et tradit sapientissimus Tirinus in cap. XIV, v. 17 *Genesis*, ibi: « Sed fuit princeps aliquis et regulus gentilis e gente Chanaan, rex Salem, seu Hierosolymae, ut est in Chaldaeo, quam et illum condidisse Josephus affirmat, et fidelium (qui tum ipsius, tum aliorum opera istie reperiebantur) doctor, sacerdos, pastor; ita S. Dionysius, Hippolytus, Irenaeus, uterque Eusebius, Apollinaris, et alii cum plerisque recentioribus. Addunt S. Ignatius, et Suida Melchisedech semper virginem permansisse. Unde et in hoc typum gessit Christi, uti et in nomine et in nominis etymo, in officio, in sacerdotio, in sacrificio, de quibus fuse *ad Hebraeos VII*, et *Ps. cix.* »

(2. Hic Melchisedech fuit revera sacerdos: et quia sacerdos erat, panem et vinum obtulit; *Gen. XIV*, v. 18: *Proferens panem et vinum; erat enim sacerdos Dei Altissimi.* Et Apost. ad *Hebr. VII*, asserit Melchisedechum non solum Christi figuram fuisse, ut Aaron, sed insuper dicit Christum sacerdotem fuisse, non secundum ordinem Aaron, qui offerebat sacrificia cruenta, sed secundum ordinem Melchisedech, qui obtulit sacrificium incruentum, proferens panem et vinum; unde et Chri-

(57) Quippe agitur de salute aeterna animarum.

Bon., Suarez, Diana, Concina et Sanchez. Hancque opinionem dicit Bened. XIV, *cit. notif.*, n. 17, esse communem theologorum et canonistarum. » Ita D. de Ligorio *l. et n. c.*

(58. « Circa praedictam autem obligationem (sic laud. de Ligor.) monendi infirmum de confessione, stando quidem rigori praef. const. Inn. et S. Pii, omnino videtur esse vera tertia sententia docens monitionem esse faciendam, non solum quando morbus est mortalis, sed etiam cum adest periculum, ne mortalis evadat; Pontifices enim sane illud novum praecipuum medicis imponunt praeter illud ad quod ipsi de jure divino tenentur (57). »

(59. « ... Sed cum decreta Pontificum (ita id. de Ligorio), non obligent, nisi secundum quod sunt usu recepta, ut docent Cajet... Sanchez, Pal. Diana, Salm., etc. Hinc dicunt Salm. cum Cajet., Sanchez et alii cit., praefata decreta et juramentum in Hispania non obligare, quia ibi non sunt usu recepta, vel sunt abrogata. Idemque testatur Mazzot. loquens de nostro regno, dum ait juramentum S. Pii V ex usu recepto (ut etiam mihi constat) tantum in morbis periculosis observari. » *L. et n. cit.*

Sacerdos. — 3. Quo sensu Melchisedech traditur ab Apostolo, sine patre, sine matre, sine generatione, etc., ibi.

stus, ut palam faceret se sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech, uti Deus per Davidem de illo praedixerat *ps. cix*, vers. 3, sub iisdem speciebus panis et vini suum quoque sacrificium in ultima cena incruentum instituit. Ita omnes tam S. Patres, quam doctores scholastici.

(3. Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia traditur ab Apostolo ad *Hebr. c. VI*, v. 3, non quod his caruerit, sed quod nobis ignoti sint, cum nulla sive avorum, sive parentum ejus memoria fiat in Scripturis, quae non gentilium (qualis erat Melchisedech, unus ex regulis Chanaanorum, teste Josepho, S. Dionysio, Epiphano, Theodoro), sed solum Hebraeorum genus et historiam pertexunt, ut recte observat laudatus Tirinus in *Epist. ad Hebr.*, cap. VII, v. 3; Calmetus tamen in *Dictionary*, verb. *Melchisedech*, refert quod aetate sancti Epiphanius fuerunt qui parentes Melchisedech designarent, Heraclam nempe, sive Heraclen patrem illius, matrem vero Astaroth, sive Astariam appellantes. Catena Arabica in *Gen. IX* ejus genealogiam paternam ex Sem, maternam ex Japhet derivans, Heraclam, sive Heraclim patrem Melchisedech, filium, seu nepotem Phaleg, filium vero Heber facit; matrem vero, quam Salthiel appellat, filiam tradit Gomer filii Japhet. Josephus Gorionides, Hebraeus scriptor circa undecimum saeculum, Melchisedech alterum nomen, Joram nempe, inducit, l. VI, c. 31, sidusque ejus ortui praesidens, Sedech (planeta est Jovis) appellat; urbem tandem

cui præerat, primum *Jebus*, deinde *Sedech*, postea *Salem* tandem *Hierusalem*, denomi-

MELIORAMENTA.

SUMMARIUM.

1. Melioramenta rei aliqua dicuntur intrinseca, et alia extrinseca, et quæ utraque sint? — 2. Melioramenta rei alia dicuntur necessaria, alia utilia, et alia voluptuaria. — 3. Melioramenta necessaria quæ sint? — 4. Melioramenta necessaria refici debent cuicumque melioranti, etiam possessori malæ fidei, et injusto. — 5. Et persolvi debent in ea quantitate, quæ fuit impensa, nulla servata ratione meliorati et impensi. — 6. Melioramenta utilia quæ sint? — 7. Melioramenta utilia facta a possessore bonæ fidei sunt illi restituenda. — 8. Si vero sint facta a possessore malæ fidei repeti non possunt. — 9. Melioramenta voluptuaria quæ sint? — 10. Melioramenta voluptuaria refici non debent. — 11. Quæ sint melioramenta voluptuaria ex relationibus peritorum deducitur. — 12. Melioramenta, ut repeti possint, debet de eis liquido constare tum in genere, tum in specie. — 13. Unde, ut melioramenta et sumptus repeti possint, duo copulative sunt distincte probanda, id est tantum fuisse insumptum, et tantum fuisse melioratum. — 14. In melioramentis, et expensis repetendis, semper attenditur quod minus est, sive illud minus sit insumptum sive melioratum. — 15. Melioramenta bona fide facta possunt recuperari, vel excipiendo ante sententiam, vel officium judicis post sententiam implorando. — 16. Interim, qui bona fide fecit melioramenta, habet retentionem rei melioratæ, donec de melioramentis fuerit integre satisfactus. — 17. Ad effectum tamen obtinendi retentionem rei melioratæ pro melioramentis, debet necessario de illis constare. — 18. Melioramenta, si sint probata in genere tantum, non dant retentionem rei melioratæ, nec retardant immissionem, sed succurrunt bonæ fidei possessori per cautionem de illis reficiendis liquidatione facta. — 19. Melioramenta mala fide facta, si sint necessaria, possunt repeti. — 20. Secus autem, si sint tantum utilia. — 21. Hinc, si quis scienter in solo alieno inædificavit, sumptus non repetit, et inædificatum cedit domino soli. — 22. Item melioramenta facta in re fideicommissio sub-

(1. Melioramenta rei alia dicuntur intrinseca et alia extrinseca. Melioramenta intrinseca sunt illa quæ quasi transeunt in rem, quam meliorem efficiunt, ut stercoreatio agri, implantatio arborum, si radices fixerint, et hujusmodi. Extrinseca sunt illa, quæ tantum extrinsece adhaerent, et salva re separari possunt, ut picturæ, januæ, fenestræ, domuncula mobilis, quæ solo alieno imponitur, et similia.

(2. Rursus melioramenta alia dicuntur necessaria, alia utilia, et alia voluptuaria. *Communis*. (3. Melioramenta necessaria dicuntur illa sine quibus res peritura esset, vel deterioratura, vel nullos aut non ordinarios fructus afferret, et quorum omisio imputanda esset omittenti. *Communis* cum Rota p. 1, recent. dec. 6, n. 1 et seq.; p. xv, dec. 191, num. 26; p. xviii, l. 11, dec. 364, num. 6.

(4. Melioramenta necessaria refici debent cuicumque melioranti, etiam possessori malæ fidei et injusto; Rota p. vii, recent. dec. 223, n. 15; p. ix, l. 1, dec. 318, n. 14; p. xviii, l. 11, dec. 384, n. 5, et dec. 611, n. 3. (5. Et persolvi debent in ea quantitate

natam testatur. Hæc ille, qui plura adhuc ad rem ibi tradit.

jecta ab eo qui rem illam scienter emit, non possunt repeti. — 25. Item, qui scienter emit rem subjectam retractui, eamque melioravit, non potest melioramenta repetere. — 24. Idem usufructuarius non acquirit dominium meliorationum quas scienter facit, nec potest sumptus repetere. — 25. Potest tamen usufructuarius repetere expensas necessarias, et quæ ad perpetuam proprietatis utilitatem pertinent. — 26. Idem procedit in patre usufructuario meliorante bona adventitia filiorum, quo casu melioramenta spectant ad filios, et pater solum repetit expensas. — 27. Melioramenta facta a gravato in bonis fideicommissio subjectis non veniunt in restitutione fideicommissi, sed per viam detractionis remanent libera ipsi hæredi gravato. — 28. Melioramenta, quæ sunt ab emphyteuta, vel feudatario facta, non dicuntur feudalia, aut emphyteutica, etiamsi principale subjectum sit feudale, vel emphyteuticum, sed transeunt ad hæredes et successores emphyteute, vel feudatarii meliorantis. — 29. Melioramenta quæ sine læsione prioris status rei locatæ possunt amoveri, semper conductori sunt restituenda. — 30. Alia, *remissive*. — 31. Melioramenta facta ab emphyteuta, quando possint repeti, vel non? *remissive*. — 32. Melioramenta facta per beneficiatum ex bonis patrimonialibus detrahuntur per hæredem: secus si ex fructibus beneficii. — 33. In dubio autem facta censentur ex fructibus beneficii. — 34. Equites Hierosolymitani promovendi non possunt ad digniores commendas, nisi antea legitime documentis ostenderit se priores meliorasse. — 35. Unde, si de tempore vacationis non obtinuerint sua melioramenta probari, sed nec illa exhibuerint, sunt incapaces novas obtinendi commendas. — 36. Nec eis suffragari potest subsequens exhibitio, præcipue si fuerit interea alteri jus quesitum. — 37. Melioramentorum exhibitio faciendæ est ab equite ad novas commendas coram lingua, vel prioratu, non autem coram eorum commissariis. — 38. Melioramenta in beneficialibus invalide alienatis emptori debent refici. — 39. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ad n. 40.

quæ fuit impensa, nulla servata ratione meliorati et impensi: Rota part. xviii, tom. 11, dec. 397, n. 20, et dec. 398, n. 20, et dec. 537, n. 10 et sequent.

(6. Melioramenta utilia dicuntur illa quæ faciunt ut res sit utilior, sive ut plures fructus afferat, verb. gr., si ager cum necessariis expensis de more afferat 10 modia tritici, et cum aliis afferat 12 modia, hæc expensæ sunt utiles, et dicuntur melioramenta utilia, cum sic augeant valorem rei, ejusque fructus. *Communis* cum Rota part. xii, recent. dec. 203, n. 21 et seq.; part. xiv, dec. 22, n. 8; part. xv, dec. 191, n. 23. (7. Melioramenta utilia facta a possessore bonæ fidei sunt illi restituenda. Rota part. ii, recent. dec. 356, n. 1, part. iv, tom. 1, dec. 64, n. 1. (8. Si vero sint facta a possessore malæ fidei, repeti non possunt, sicuti non sunt reficienda melioramenta excessiva et consulto facta. Rota part. xi, rec. dec. 2, n. 32; p. xii, dec. 307, n. 21 et 22.

(9. Melioramenta voluptuaria dicuntur illa quæ fructus rei non augent, sed tantum conferunt ad ornamentum, vel ad delicias;

uti id, quod impenditur ad picturas, statuas, artificiosos fontes, delicias viridaria, et hujusmodi. *Communis* cum Rota p. ii, rec. dec. 650, n. 4; p. 11, dec. 317, n. 18, p. xii, dec. 233, n. 16. (10. Melioramenta voluptuaria refici non debent. Rota part. ix, tom. 1, dec. 7, n. 11; part. x, dec. 219, n. 25; part. xi, dec. 317, n. 15; part. xii, dec. 203, n. 21; part. xiv, dec. 22, n. 8; part. xvi, dec. 237, n. 2. (11. Quæ vero sint voluptuaria ex relationibus peritorum deducitur. Rota, part. xi, rec. dec. 317, n. 17.

(12. Melioramenta ut repeti possint, debet de eis liquido constare, tum in genere, tum in specie. *Communis* cum Rota, part. ii, dec. 161, n. 2; part. v, tom. 11, dec. 470, n. 7; part. xiv, dec. 19, n. 14. (13. Unde, ut melioramenta, et sumptus repeti possint, duo copulative sunt distincte probanda, id est tantum fuisse insumptum, et tantum fuisse melioratum, cum dominus rei melioratæ electionem habeat reficiendi, quod minus est inter impensum et melioratum. Hinc, si sint impensa centum, et res facta sit pretiosior in centum quinquaginta, non reficiuntur nisi centum impensa; quia in illis centum duntaxat concurrunt duo dicta requisita, scilicet tantum impensum, et tantum melioratum, in quinquaginta vero, in quibus melioramenta excedunt impensam, non concurrunt illud requisitum, quod tantumdem fuerit impensum, quia in illis nihil impensum fuit. Et e converso si sint impensa centum quinquaginta, et res facta sit pretiosior in centum, reficiuntur solum illa centum meliorata, quia in quinquaginta, in quibus impensa excedunt melioramenta, non verificatur illud requisitum quod tantumdem fuerit melioratum, cum pro illa summa nihil melioratum fuerit, et dominus rei melioratæ electionem habeat reficiendi, quod minus est inter impensum et melioratum. *Communis* cum Rota p. iii, dec. 650, n. 2; part. ix, tom. 1, dec. 318, n. 17; part. xi, dec. 363, n. 12; part. xii, dec. 27, n. 21; part. xiii, dec. 109, n. 19, dec. 288, n. 20; p. xiv, dec. 405, n. 17; p. xv, dec. 119, n. 1, dec. 191, n. 1; part. xvii, dec. 224, n. 20, et dec. 250, n. 8, et sæpe alibi per textum in cap. *Requisivit 1*, De integro restitutione, c. *Ad nostram 11*, De rebus Ecclesiæ non alienand. Paulus, § *Domos*, ff. *De pignoribus*, et l. *Domos*, ff. *De legat. 1*.

(14. Unde regula communis et generalis est, quod in melioramentis et expensis repetendis semper attenditur quod minus est, sive illud minus sit insumptum, sive melioratum; l. *in fundo*, vers. *Et si plus*, ff. *De rei vindicat.*, et ibi *Glossa* communiter recepta in vers. *Plus pretio*, dicens: si sunt impensa decem, et melioratio quindecim, repetuntur sola decem; item si decem impensa, et melioratio quinque, sola quinque repetuntur; Fagn. inc. *Requisivit 1*, De integro restitutione, n. 21, ubi, pluribus citatis, testatur de communi.

(15. Melioramenta bona fide facta possunt

FERRAR. V.

recuperari, vel excipiendo ante sententiam, vel officium judicis post sententiam implorando: Baldus consil. 257, *Titius emit fundum*, in princip. lib. 1; Fagnanus, *loc. cit.*, n. 27, et alii passim. (16. Et interim qui bona fide fecit melioramenta habet retentionem rei melioratæ, donec de melioramentis fuerit integre satisfactus: l. *Si in area*, in fin. d. *Condit. indebit.*, et leg. *Paulus*, ff. *De dol. mal. except.*, et expresse Rota, part. iv, *Recent.* tom. 1, dec. 206, n. 1, dec. 513, n. 4; part. x, dec. 113, n. 5; part. xviii, tom. 1, dec. 237, n. 1; p. xix, tom. 1, dec. 380, n. 38, et dec. 220, n. 1, et par. xix, tom. 11, dec. 614, n. 1.

(17. Ad effectum tamen obtinendi retentionem rei melioratæ pro melioramentis, debet necessario de illis constare. Rota, part. xiv, recent. dec. 405, n. 2; p. xviii, tom. 11, dec. 329, n. 2. Adeoque retentio non datur pro melioramentis, de quibus nec in genere, nec in specie constat. Rota, par. iii, dec. 378, n. 1; p. xii, dec. 97, n. 20; p. xix, tom. 1, dec. 352, n. 18; Fagn., *loc. cit.*, n. 28, et alii passim.

(18. Melioramenta, si sint probata in genere tantum, non dant retentionem rei melioratæ, nec retardant immissionem, sed succurrunt bonæ fidei possessori per cautionem de illis reficiendis liquidatione facta. Rota par. iv, tom. 11, dec. 127, n. 7 et 8; part. iii, dec. 521, n. 17, et sæpe alibi: Puteus, dec. 471, lib. ii; Fagn., l. c., n. 33, cum aliis ibi citatis.

(19. Melioramenta mala fide facta, si sint necessaria, possunt repeti; Rota par. vii, recent. dec. 223, n. 15; par. ix, tom. 1, dec. 218, num. 14; part. xviii, tom. 11, dec. 364, n. 4, et patet ex dictis supra n. 4 et 5. (20. Secus autem si sint tantum utilia; l. *Domum*, in fine 6, ff. *De rei vind.*, et cap. *Requisivit 1*, De integro restit., a sensu contrario ibi: « Quos bona fide fecerit, » Fagnanus, *ibid.*, n. 34 et 42, cum aliis ibi citatis, et expresse Rota part. ii, recent. dec. 2, n. 34, part. xii, dec. 307, n. 21 et 22.

(21. Hinc, si quis scienter in solo alieno inædificavit, sumptus non repetit, et inædificatum cedit Domino soli, ut l. *Si quis sciens*, cod. *De rei vindic.*, et § *Ex diverso*, instit. *De rerum divis.* Rota, par. vi Rec. dec. 1, n. 5 et 45. Qui enim, non obstante, quod sciverit solum esse alienum, adhuc inibi ædificium construxit, sua voluntate amisisse proprietatem materiæ intelligitur; dict. § *Ex diverso*, et leg. *Adeo*, ff. *De acquir. rer. domin.*, et sic ædificanti objici potest, quod temere ædificavit in eo solo, quod certo sciebat esse alienum, ut dicitur in § *Certe*, instit. *De rer. divis.*

(22. Item melioramenta facta in re fideicommissio subjecta ab eo, qui rem illam sciens esse fideicommissio subjectam, emit, propter ejus malam fidem non possunt repeti, ut l. *final.*, § *fin.*, cod. *Comm. deleg.*, et ibi doctores communiter teste Fagnano, *loc. cit.*, n. 36. (23. Item qui scienter emit rem subjectam retractui, eamque melioravit,

propter ejus malam fidem non potest talia melioramenta repetere. Igneus in l. *Dudum*, n. 40, cod. *De contrah. empt.*; Fagnanus, *loc. cit.*, n. 37, et alii passim. (24. Item usufructuarius non acquirit dominium meliorationum, quas scienter facit, nec potest sumptus repetere; Rota, part. vi, recent. dec. 116, n. 6; Fagnanus, *loc. cit.*, n. 38, per text. in l. *Usufructuarius* 61, ff. *De usufruct.*, et l. *Usufructuarius* 68, ff. eod. (25. Potest tamen usufructuarius repetere expensas necessarias, et quæ ad perpetuam proprietatis utilitatem pertinent; Rota, cit. part. vi, dec. 116, n. 36 et seq., ubi, pluribus adductis, dicit esse communem. (26. Idem procedit in patre usufructuario meliorante bona adventitia filiorum, quo casu melioramenta spectant ad filios, et pater solum repetit expensas; Rota cit. part. vi, dec. 116, n. 11, ubi pluribus adductis, dicit, quod expensarum repetitio ex privilegio patri videtur concessa ratione legitimæ administrationis, quam habet in bonis filiorum.

(27. Melioramenta facta a gravato in bonis fideicommissis non veniunt in restitutione fideicommissi, sed per viam distractionis remanent libera ipsi hæredi gravato; Rota dec. 344, num. 2, vers. *Et non comprehenduntur*, part. ii *Diversar.*, et eadem Rota part. iii, recent. dec. 116, num. 23.

(28. Melioramenta, quæ sunt ab emphyteuta, vel feudatario facta, non dicuntur feudalia, aut emphyteutica, etiamsi principale subjectum sit feudale, vel emphyteuticum, sed transeunt ad hæredes et successores emphyteutæ, vel feudatarii meliorantis. Rota part. ii, recent. dec. 349, n. 1, et part. vi, dec. 116, n. 25 et 26; card. de Luca, *De legat.*, disc. 35, n. 34.

(29. Melioramenta, quæ sine læsione prioris status rei locatæ possunt amoveri, semper conductori sunt restituenda; Rota, part. xviii, *Recent. dec.*, tom. II, dec. 608, n. 4. (30. Alia quoad melioramenta facta a conductore in re sibi locata. *Vide verb. LOCATIO* a numer. 23 ad 25 inclusive.

(31. Melioramenta facta ab emphyteuta, quando possint repeti, vel non? *Vide verb. EMPHYTEUSIS* art. 1 a num. 7 ad 15 inclusive.

(32. Melioramenta facta per beneficium ex bonis patrimonialibus detrahuntur per hæredem; secus, si ex fructibus beneficii, quia pertinent ad Ecclesiam, cum Ecclesia succedat tanquam beneficiati hæres in bonis, quæ Ecclesiæ occasione quæsitæ sunt. card. de Luca, *De benef.* disc. 82, n. 5, et disc. 86, n. 2 et seq., cum aliis ibi citatis. (33. In dubio autem facta censentur ex fructibus beneficii, cum beneficiatus ex debito officii

ea fecisse censeatur magis ex fructibus beneficii, quam de proprio. Garcias, *De expens. et melioram.*, cap. 41, num. 71; card. de Luca, *locis citatis*; Rota, dec. 671, part. i *Diversar.*, et part. XII, recent. dec. 168, num. 27, ubi dicit, quod bona beneficiati præsumuntur acquisita ex fructibus beneficiorum; tum quia in dubio, non constito de contrario, intrat præsumptio donationis, seu incorporationis ad beneficium Ecclesiæ. Card. de Luca, cit. dis. 86, num. 5.

(34. Equites Hierosolymitani ex statutis religionis tit. 14, cap. 16 et 17, promovendi non possunt ad digniores commendas, nisi antecederent legitimis documentis ostenderent, se priores meliorasse. Rot., p. xvii, rec. dec. 3, n. 3. (35. Unde si de tempore vacationis non obtinuerint sua melioramenta probari, sed nec illa exhibuerint, sunt incapaces novas obtinendi commendas. Rota, p. xvii, dec. 137, n. 1. (36. Nec eis suffragari potest subsequens exhibitio, præcipue si fuerit interea alteri jus quæsitum. Rota, cit. dec. 173, n. 2, 3 et 4.

(37. Melioramentorum autem exhibitio faciendæ est ab equite aspirante ad novas commendas coram lingua, vel prioratu, non autem coram eorum commissariis; Rota, part. xvii, rec. dec. 137, n. 6 et 7. Commissarii enim habent nudam facultatem visitandi, et revidendi processum super melioramentis factis; Rota *ibid.*

(38. Melioramenta facta in bonis ad beneficium spectantibus, et invalide alienatis, debent emptori refici. Sac. congregat. concil. in *Ruben. Nullitatis alienationis* 28 Augusti 1723, ad 4 dub. apud *Thesaur. resolut. sacre congregat. Concil.*, tom. II, fol. 355, ultimæ impressionis, quæ prostat Romæ apud Barbiellini ad *Minervam*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(39. Notabilis intercedit differentia prædia urbana inter et prædia rustica, quoad meliorationum æstimationem; « profecto in illis (ita recte ait Rota in *Ravenn. Immissionis super melioramentis* 20 Martii 1747, § *Profecto, coram clar. mem. Millino*) spectandus est status temporis præsentis, juxta textum in leg. *Domos hereditarias*, ff. *De legat.* 1, in aliis vero, cujus generis est de quo agitur, inspiciendum est tempus factorum meliorationum, ut inter impensum, et melioratum reficiatur quod minus est possessori bonæ fidei, secundum alterum textum in leg. *Fundo*, ff. *De rei vindicat.*, etc., dummodo tamen res sit de meliorationibus utilibus, nam quæ necessariæ probantur, sunt in totum reficiendæ melioranti ad modum sumptuum factorum. »

MENDACIUM.

SUMMARIUM.

1. Mendacium quid sit. — 2. Potest quis mentiri, non tantum verbis, sed etiam nutibus, gestibus, et scriptis. — 3. Ut quis dicatur vere mentiri, requiritur, quod falsum putet id, quod dicit ut verum,

et e contra. — 4. Ad verum mendacium requiritur animus fallendi, si non expressus et formalis, saltem tacitus. — 5. Mendaciorum genera octo distinguit S. Augustinus. — 6. At hæc omnia commode reducuntur pro faciliori captu ad tria, scilicet jocosum, officiosum et perniciosum. — 7. Menda-

cium jocosum quid sit? — 8. Mendacium officiosum quid sit? — 9. Mendacium perniciosum quid sit? — 10. Mendacium jocosum et officiosum ex genere suo sunt tantum peccata venialia. Mendacium autem perniciosum est ex genere suo peccatum mortale. — 11. Nullum ex dictis mendaciis unquam est licitum. — 12. Mendacium proprie dictum nullo casu aut sine potest esse licitum, ne quidem ad salvandam hominis vitam. — 13. Imo neque unquam licitum est mendacium proprie dictum etiam pro salute spirituali hominis. — 14. Adducitur instantia ex variis locis sacre Scripturæ. — 15. Respondetur ad omnia dicta loca sacre Scripturæ, usque ad n. 19. — 20. Ex omnibus supra adductis clare constat, nihil posse inferri, quod probet mendacium proprie dictum posse esse licitum in aliquo

(1. Mendacium est falsa significatio contra mentem cum animo fallendi, S. Augustinus *Lib. contra mendacium*, c. 12, relatus in cap. 2. *Beatus Paulus* 5, caus. 22, q. 2. (2. Dicitur primo *falsa significatio*, quia potest quis mentiri, non tantum verbis, sed etiam nutibus, gestibus, scriptis et hujusmodi, unde S. Augustinus *Lib. contra mendacium*, cap. 3, dicit « ille mentitur, qui aliud habet in animo, et aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat. »

(3. Dicitur secundo, *contra mentem*, quia mentiri est contra mentem ire; unde: ut quis dicatur mentiri, requiritur, quod falsum putet id, quod dicit ut verum. Potest enim fieri, quod aliquis non mentiatur, licet falsum dicat, si nempe credat illud esse verum, et contra mentiatur licet verum dicat, si nempe dictum suum putet esse falsum. Hoc totum exprimit S. Augustinus *Enchirid.*, cap. 18, relatus in cap. *Is autem* 4, caus. 22, quæst. 2, ibi: « Nemo mentiendus est, qui dicit falsum, quod putat verum; quoniam, quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. . . . potiusque e contrario quantum in ipso est, ille mentitur, qui dicit tanquam verum, quod putat falsum. »

(4. Dicitur tertio, *cum animo fallendi*, quia quamvis hujus particule necessitatem negent plures volentes sufficere ad mendacium, quod quis loquatur contra mentem, sive interius intendat fallere, sive non; hanc tamen requirit Gelasius Papa in cap. *Beatus Paulus* 5, caus. 22, quæst. 2, in cujus Summario expresse dicitur: « Non mentitur, qui animum fallendi non habet: » et S. Augustinus relatus in cap. *Is autem*, 4, caus. 22, quæst. 2, ibi: « Is autem, qui mentitur contra id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. » Et ideo non proprie mentiretur, ille, qui jocandi causa, diceret: « Ego uno solo die peragravi quatuor mundi partes: Ego hodie ivi Romam, et inde huc redivi: » et similia; per hæc enim nullatenus intendit fallere, sed nugari, ut utique id clare ex modo pronuntiandi, aliisque circumstantiis personæ, loci, temporis, et hujusmodi percipiunt ipsimet auditores. Et sic expresse docet S. Augustinus. *Lib. quæst. in Genesim.*, quæst. 145, relatus in cap. *Quod autem* 18, caus. 22, quæst. 2, ubi dum explicat hæc patriarchæ Josephi verba, « An

casu, sed remanet in suo vero robore nostra conclusio, quod mendacium proprie dictum sit per se et intrinsece malum, et nullo casu, seu ob nullam necessitatem colonestari, et licitum fieri possit. — 21. Bene vero non est per se malum, sed ob justam causam licitum est celare veritatem, seu per verbi æquivocationem, aut facti dissimulationem. — 22. Adducitur et solvitur instantia. — 23. Mendacium in confessione deliberate commissum est sacrilegium. — 24. Mentiens deliberate circa materiam necessariam confessionis peccat mortaliter. — 25. Mentiens deliberate circa materiam non necessariam confessionis peccat solum venialiter. — 26. Dummodo tamen talis penitens absolutioni subjiciat aliam materiam sufficientem: de qua habet verum dolorem et propositum.

ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia? » dicit ejusmodi phrases non esse mendacia, quia iis non utuntur modo serio, sed tantum quodam joco: « Mendacia enim a mendacibus serio aguntur, non joco. Cum autem, quæ non sunt, tanquam joco dicuntur, non reputantur mendacia. » Et id confirmat idem S. doctor *Lib. de mendacio*, cap. 2, ibi. « Nunquam (*joca*) sunt putata mendacia, habent enim evidentissimam ex pronuntiatione, atque ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis: » et *ibid.*, c. 3, subjungit: « ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate, vel falsitate mentiendus, aut non mentiendus judicandus est. » Et sic tenent Pontas, verb. *Mendacium*, cas. 4; Henno, t. I, *tract. in decalog.*, disp. 8, q. 1, concl. 1; Laym., lib. iv, tract. 3, cap. 13, n. 4, et alii passim volentes, quod ad mendacium requiratur animus fallendi, si non expressus et formalis, saltem tacitus, contentus in verbis, quæ talibus, aut talibus circumstantiis nota sunt fallere.

(5. Mendaciorum genera octo distinguit S. Augustinus *Lib. de mendacio*, cap. 4, relatus in cap. *Primum* 8, caus. 22, qu. 2. (6. At hæc omnia commode reducuntur ad illa tria, scilicet mendacium *jocosum*, *officiosum*, et *perniciosum*, quæ ordinariè pro faciliori captu a doctoribus traduntur cum S. Bonaventura in 3 sentent., dist. 38, art. 1, quæst. 5, in corpore, ubi dicit, quod mentiendus, « aut intendit prodesse, aut delectare, aut lædere; secundum quod intendit prodesse est mendacium *officiosum*; secundum quod intendit delectare, est mendacium *jocosum*; tertium quod intendit lædere, est mendacium *perniciosum*. »

(7. Mendacium *jocosum* est, quod profertur, vel fit sine alicujus nocimento, causa voluptatis propriæ, vel alienæ. *Est in re communis.* (8. Mendacium *officiosum* est, quod profertur, vel fit sine alicujus nocimento, causa utilitatis propriæ, vel alienæ. *Est in re communis.* (9. Mendacium *perniciosum* est, quod profertur, vel fit causa alienæ injustæ damnificationis. *Est in re communis.* (10. Mendacium *jocosum* et *officiosum* ex genere suo sunt tantum peccata venialia. Mendacium autem *perniciosum* est ex genere suo peccatum mortale. *Communis.*